

rum. *Et post unum versum* : Fili, in mortuum produc lacrymas, et quasi dira passus incipe plorare. Et secundum iudicium contege corpus illius, et non despicias sepulturam illius. Propter delaturam amare fer luctum illius una die, et consolare propter tristitiam : et fac luctum secundum meritum ejus uno die vel duobus, propter detractionem. A tristitia enim festinat mors, et cooperiet virtutem, et tristitia cordis flectet cervicem. *Et post unum versum* : Non dederis in tristitiam cor tuum. *Et post novem versus* : Sapientia scribæ in tempore vacuitatis, et qui minoratur actu sapientiam percipiet¹.

Et paulo post : In voce dicito, Obaudite me divini fructus aquarum, et quasi rosa plantata super rivum fructificate. Quasi Libanus odorem suavitatis habete, Florete flores quasi lilium, date odorem, et frondete in gratiam, et collaudate canticum, et benedicite Dominum in operibus suis. Date magnificentiam nomini ejus, et confitemini illi in voce labiorum vestrorum, in canticis labiorum et citharis : et sic dicetis in confessione : Opera Domini universa bona valde. In verbo ejus stetit aqua sicut congeries, et in sermone oris ejus sicut exceptoria aquarum. Quoniam in præcepto ipsius placor fit, et non est minoratio in salute illius. Opera omnis carnis coram illo, et non est quidquam absconditum ab oculis ejus. A sæculo et usque in sæculum respiciet; et nihil est mirabile in conspectu ejus. Non est dicere, Quid est hoc, aut quid est illud : omnia enim in tempore suo quærentur².

Et paulo post : Gratia sicut paradisi in benedictionibus, et misericordia in sæculum permanet. *Et post duodecim versus* : Fratres in adjutorium in tempore tribulationis, et super eos misericordia liberabit³.

Et post paululum : Sapientia enim abscondita, et

¹ Eccli. xxxviii, 1-25. — ² Id. xxxix, 17-26. — ³ Id. xl, 17 et 24.

thesaurus occultus, quæ utilitas in utrisque? Melior est homo qui abscondit stultitiam suam, quam homo qui abscondit sapientiam suam¹.

Et aliquanto post : Benedicentes Dominum exaltate illum quantum potestis; major est omni laude. Exaltantes eum replemini virtute².

Et post multa : Appropiate ad me, indocti, et congregamini in domum disciplinæ. Quid adhuc retardatis, et quid adhuc dicitis? In his animæ vestræ sitiunt vehementer. Aperui os meum, et locutus sum : Comparete vobis sine argento sapientiam, et collum vestrum subjicite jugo, et suscipiet anima vestra disciplinam. In proximo enim est invenire eam. Videte oculis vestris, quoniam modice laboravi, et inveni mihi multam requiem. Assumite disciplinam in multo numero argenti, et copiosum aurum possidete in ea. Lætetur anima vestra in misericordia ejus, et non confundemini in laude ipsius. Operamini opus vestrum ante tempus, et dabit vobis mercedem vestram in tempore suo³.

De libro Tobie ista ponenda credidimus.

DE TOBIÆ LIBRO.

HONOREM habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus. Memor enim esse debes, quæ et quanta pericula passa sit propter te in utero suo. *Et post duos versus* : Omnibus autem diebus vitæ tuæ Deum in mente habe, et cave ne aliquando peccato consentias, et prætermittas præcepta Dei tui. Ex substantia tua fac elemosynam, et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere : ita enim fiet, ut nec a te avertatur facies Domini. Quomodo potueris, ita

¹ Eccli. xli, 17, 18. — ² Id. xliii, 33, 34. — ³ Id. li, 31-38.

esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue : si exiguum fuerit, etiam exiguum libenter impertire stude. Præmium enim tibi bonum thesaurizas in die necessitatis. Quoniam eleemosyna ab omni peccato et a morte liberat, et non patitur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus, qui faciunt eam. Attende tibi, fili, ab omni fornicatione, et præter uxorem tuam nunquam patiaris crimen scire. Superbiam autem nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas : in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio. Quicumque aliquid tibi operatus fuerit, statim mercedem ei restitue ; et merces mercenarii apud te omnino non maneat. Quod ab alio odis fieri tibi, vide ne alteri tu aliquando facias. Panem tuum cum esurientibus egenis comede, et de vestimentis tuis nudos tege. *Et post duos versus* : Consilium semper a sapiente perquire. Omni tempore benedic Deum, et pete ab eo ut vias tuas dirigat, et omnia consilia tua in ipso permaneant¹.

Et post septem versus : Noli timere, fili mi : pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, et recesserimus ab omni peccato, et fecerimus bene. *Et post multa* : Tunc Raphaël dixit eis occulte, Benedicite Deum cœli, et coram omnibus viventibus confitemini illi, quoniam fecit vobiscum misericordiam suam. Etenim sacramentum regis abscondere bonum est : opera autem Dei revelare et confiteri, honorificum est. Bona est oratio cum jejuniis, et eleemosyna magis quam thesauros auri recondere. Quoniam eleemosyna a morte liberat, et ipsa est quæ purgat peccata, et facit invenire vitam æternam. Qui autem faciunt peccatum et iniquitatem hostes sunt animæ suæ².

Et paulo post : Audite ergo, filii mei, patrem vestrum :

¹ Tob. iv, 3-23. — ² Id. xii, 6-10.

Servite Domino in veritate, et inquirete ut faciatis quæ sunt placita illi : et filiis vestris mandate, ut faciant justitias et eleemosynas, ut sint memores Dei, et benedicant eum in omni tempore, in veritate et in tota virtute sua¹.

Jam nunc quoniam non omnes libri canonici Veterisque Testamenti huic operi nostro necessaria dederunt, neque ii qui dederunt, ex omnibus suis locis conveniebat ut darent, sed ex eis tantum, ubi apertiora morum bonorum præcepta comperimus ; sive ubi utilia jubentur, sive ubi contraria prohibentur : ad sacras Litteras evangelicas et apostolicas transeamus. Caput in canone Testamenti Novi notissima et præclarissima quatuor Evangelia tenuerunt, in quorum primo, quod secundum Matthæum est, ea quæ nobis sunt ad hoc opus, quod suscepimus, congrua, videamus.

DE EVANGELIO SECUNDUM MATTHÆUM.

VIDENS autem Dominus turbas, ascendit in montem : et cum sedisset, accesserunt ad eum Discipuli ejus. Et aperiens os suum docebat eos, dicens : Beati pauperes spiritu ; quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati mites ; quoniam ipsi possidebunt terram. Beati qui lugent ; quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam ; quoniam ipsi saturabuntur : Beati misericordes ; quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati mundo corde ; quoniam ipsi Deum videbunt. Beati pacifici ; quoniam filii Dei vocabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam ; quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati estis cum maledixerint vobis homines, et persecuti

¹ Tob. xiv, 10, 11.